



Misc. 6<sup>m</sup>.

1,63

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36

244

L. N. 7.

VINDICIARUM

SENTENTIÆ ORTHODOXÆ:

QUOD DISSENSUS INTER SOCIOS A. C. ET REFORMATOS IN ART.

DE COENA

SIT FUNDAMENTALIS,

DISPUTATIO PRIOR,

QUAM AUSPICIS,

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,

SERENISSIMI PRINCIPIS ATQUE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECT. SAXON. HEREDIS, ETC. ETC. ETC.

PRÆSIDE

GOTTLIEB WERNSDORFIO,

SS. Theol. D. & P. Publ. nec non Alumnorum Elector. Ephoro,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQUENDI,

D. XI. NOVEMBR. clō Iōcc VI.

PUBLICE DEFENDET

M. GOTTLÖB TIMÆUS,

Ecclesiæ Gommeranæ Pastor, & vicinarum in Burggrafiato Magdeb. Superint.

VITTEMBERGÆ, Literis GERDESIANIS.



UNIVERSITÄT  
QUOD DISSENTIENS IN-  
TER SOCIOS A C ET  
REFORMATORUM IN ALI  
DE COEN A  
SITUS DEMENTIALIS  
DISPUTATIO PRIMA  
QUAE ADUSCENS  
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI  
IN UNIVERSITATE WITTEBERGENSI  
DN FRIDERICI AUGUSTI  
ELECTORIS SACHSIAE HEREDIS ET C. ET C. ET C.  
P. R. A. V. D. E.  
GOTTLIB WERNSDORFII  
PROFESSORIS PRAECEPTORIS ET C. ET C. ET C.  
PRO FLORENTIA  
SVMPTIBUS IN THEOLOGICA HONORIS CONSEQUENDI  
D. K. I. G. O. S. M. A. N. I. S. C. C. V. I.  
M. GOTTLIB TIMMERS  
HABERLE, CUMMUNIS PRAECEPTORIS ET C. ET C. ET C.  
WITTEBERGEN, LUDWIG GERBESCHLAGER





S. I.



Didi anno superiore Dissertationem, qua dissensum inter Nos, & Reformatos in Articulo de S. Cœna ad fundamentum fidei pertinere idoneis rationibus demonstravi. Eam sigillatim opposui *D. Strimesio*, Theologo Francofurtensi, qui in Tractulo suo Germanico, (sic enim ipse nominat,) quem inscripsit: *Kurzer Entwurff von Einigkeit der Lutheraner / und Reformirten im Grunde des Glaubens /* illam de Cœna controversiam, quatenus A. C. sociis cum Reformatis Theologis intercedit, ne quidem si ad Formulæ Concordiæ exigatur præscriptum, capitalem esse docuerat. Quod quidem ut refellerem, ipse mihi *Strimesius* ansam dedisse videbatur, qui eodem in libello rationes, quibus contrarium in *detectione Arcani Regii* demonstraram, refutare studuerat. Quanta ceteroqui ea in dissertatione usus modestia fuerim, cum ejus ipsos etiam Reformatos, si res postulet, habere testes possim, non attinet multa commemorare. Itaque adversarium, vel omnino veritati cessurum, vel saltem, in tanta studii pacis

ostentatione, humanius responsum puravi. Sed enim spe illa frustratum me esse video, postquam Strimesius hoc ipso vertente anno, edita *Observationum Henoticarum Hexade*, tanta illam acerbitate, vehementiaque impetit, ut facile appareat, alendo eum, quam componendo, diffidio esse aptiorem. Quo ipso etiam me propemodum a respondendo deterruit, quum nulla re minus, quam rixis, contentionibusque delecter, tamen cum sapere sibi in erroribus, & suis se efferre minutiis videatur, ne silentium interpretetur victoriam, visum mihi fuit vindicias Dissertationis illius scribere, eandemque, quanta fieri potest, modestia, a cavillationibus adversarii quodammodo importuni defendere. Insistam autem viæ, quam semel ingressus sum, & quemadmodum dissensum inter utriusque religionis socios ad Formulam Conc. exigendam sibi Strimesius sumsit; sic denuo, eadem præeunte, formabo primum controversiæ statum, hinc vero ad momentum ejus attendam, & numne illud tantillum sit, quantillum adversarius putat, sollicitius inquiram, quo collatis utriusque partis argumentis, quanto Lutherani & Reformati, hoc saltem in capite, intervallo distent, constare omnibus possit.

§. II. Ac Formula quidem piæ Concordiæ statum controversiæ sic format: Quæritur: *An in Sacra Cæna verum corpus, & verus sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vere & substantialiter sint presentia, atque cum pane & vino distribuantur, & ore sumantur ab omnibus illis, qui hoc Sacramento utuntur, sive digni sint, sive indigni, boni aut mali, fideles aut infideles, ita tamen, ut fideles e Cæna Domini consolationem & vitam percipiant, infideles autem eam ad iudicium sumant. Cingliani hanc presentiam & dispensationem corporis & sanguinis Christi in Sacra Cæna negant: Nos ve-*

*ro eandem asseveramus.* Quibus in verbis IV. contineri  
 capita *Strimesius* putat §. XV. libelli antea citati p. 67. seq.  
 Nempe (1.) corpus & sanguinem Christi vere & substantialiter  
 esse presentia, & cum pane ac vino distribui. (2.) Eadem  
 supernaturali & coelesti modo, ratione sacramentalis  
 unionis, cum pane & vino sumi. (3.) Ore corporis,  
 seu corporaliter, accipi. Denique (4.) a dignis, juxta  
 & indignis participari. De quibus quidem sic judicat:  
*duo priora* minime controversa esse, cum Reformati  
 veram realem, & substantialem presentiam C. & S. C.  
 ejusque coelestem, & supernaturalem participationem  
 ore, juxta & corde profiteantur: Contriverti de reliquis,  
*Orali* nimirum, & omnium promiscue, etiam *indignorum*,  
*manducatione* & bibitione. Utrumque a suis negari,  
 a Nostris affirmari, sic tamen, ut facile pateat, formatum  
 hoc pacto controversiæ statum, nec fidei fundamentum  
 lædere, nec ineundæ Concordiæ quoquo modo obstare posse.

§. III. Respondi ad caput *primum*: Aliud Reformatos  
 sentire, aliud loqui: nec revera id credere, quod credere  
 velint videri. Jactare illos, quod statuunt, corpus &  
 sanguinem Christi vere, & substantialiter adesse in Sacra  
 Cœna. Sed verba esse, cum talem intelligant notentque  
 presentiam, quæ ne dici quidem mereatur presentia,  
 cum non nisi *intentionalem*, atque *imaginariam*, vel etiam  
*mere effectivam* agnoscant. Hic autem dici non potest,  
 quantos excitarit fluctus in simpulo Viadrinus. Queritur  
 in Hex. p. 154. *Gravissimam id esse injuriam toti Ecclesie  
 Reformatae inique, & ob finem adeo tetrum, ac invidiosum,  
 illatam.* Quasi vero ab ingenio Reformatorum alienum sit,  
 aliud sentire, quam loqui. Annon enim Philippus, quem illi  
 suum nominant, *Bucero & Capironi* in  
 A 3 ipsius

ipsis etiam Comitibus Augustanis exprobravit, quod fu-  
 cum facere imperitioribus, in hoc Articulo studeant?  
 Videantur verba apud *Chytræum in Hist. Aug. Conf. p. 750.*  
 Annon e Reformatis *Sturmius* ipse Crypto-Calvinistas  
 in Saxonia, *aliud simulasse, aliud egisse*, in Anti-Pappo est  
 falsus? Annon *Beza Aug.* Confessioni dolo, ut loqueba-  
 tur, *bono* subscripsit, eoque ipso Nostris imposuit? Annon  
*Menzerus* noster integrum vulgavit libellum, *de lingua*  
*Lutherana, mente autem Calviniana, Synodi Dordracena in Ar-*  
*ticulo de predestinatione*? Ergo nec primus ego, nec so-  
 lus sum, illud qui Reformatis tribuerit, quod eadem no-  
 biscum loquantur, nec tamen eadem sentiant. Sed & pro-  
 cul omni injuria factum id a me esse, non modo speciosis,  
 sed solidis quoque rationibus, & argumentis evici.

§. IV. Negavi Reformatos sincere credere, veram  
 & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi  
 in Sacra Cœna, idque partim *κατασκευαστως*, seu *adstru-*  
*ctive*, partim *ἀνασκευαστως*, seu *destructive*, ostendi. *κα-*  
*τασκευαστως* quidem (I.) *ex indole & natura vere, & rea-*  
*lis presentia.* Hanc enim in formalissimo suo, & essentia-  
 li conceptu involvere unius ad alterum *adessentiam, citra*  
*distantiam.* Reformatos autem docere, quod corpus  
 Christi, tanto intervallo absit a nobis, quanto summum  
 cœlum a terra. (II.) Ex eo, *quod Reformati non aliam doce-*  
*ant, quam vel mere intentionalem, vel etiam effectivam præ-*  
*sentiam.* Neutram autem realem esse, ac veram. Non  
 (I.) *Intentionalem*, quia eadem dependeat ab imaginatio-  
 ne & fide. Hanc autem rem quandam, secundum esse  
 suum, & substantiam non constituere præsentem, quia  
 alioqui (α) concipienti, & credenti fuisse *Alexandrum M.*  
*Turcarum Imperatorem, esse Sinas, Japoniam, Americ-*  
*cam; hæc omnia secundum verum esse suum præsentia*  
*forent.*



forent. (β) Quia alioqui jamdum in V. T. affuisset in Paschate corpus Christi, quoad substantiam, reclamante Scriptura. Ebr. X, 1. (γ) Quia ubicunque crederet aliquis, vel meriti & satisfactionis Christi, comedens panem & bibens vinum, meminisset, daretur Sacra Cœna. (δ) Quia per fidem nos potius præsentes simus Christo in cœlis, quam Christus cum corpore & sanguine suo Cœnæ in terris. Neque etiam (2.) *mere effectivam* præsentiam veram & realem præsentiam esse, quoniam alioqui dicendum fuerit, Solem quoque in abditissimis terræ cavernis quoad substantiam esse præsentem, quia ibidem efficaciter operetur: & Regem ac Principem Reipubl. singulis civibus corporaliter adesse, quia eosdem præsentiſſimo auxilio defendat: & amicum amico substantialiter esse præsentem, quoties eum luculento beneficio mactet. Cum proinde Reformati non aliam quam vel intentionalem, vel mere effectivam præsentiam statuunt, intuli ex eo, quod veram & realem non statuunt. Idque (III.) ex eo probavi, quod integerrimus quisque apud Reformatos, etiam recentiores, C. & S. C. quoad substantiam non adesse in Sacra Cœna procul ambagibus fateatur, idque Braunii, Picteti, Gaunterii clarissimis testimoniis ostendi, e quibus, quo sensu aliorum accipi sententia debeat, dispalescat. Denique summa disputationis hæc fuit: *Quicumque doceant C. & S. C. vere & substantialiter in Sacra Cœna adesse, & illud tamen tanto ab illa intervallo abesse dicant, quanto cœlum distet a terra: tum vero id non nisi per fidem, & ratione virtutis, adeoque spiritualiter a nobis participari contendant: denique illos pro sociis religionis & doctrine agnoscant, qui C. & S. C. non esse in Eucharistia presentia liberaliter & ingenue fateantur, illos revera non credere, quod se credere simulent, aliterque*

*serque adeo sentire, aliter loqui. Reformatos id facere, E. Quid*  
 quæso hoc argumento fortius, aut ad confundendum  
 adversarium efficacius dici poterat? Quid autem con-  
 tra *Strimesius*? Num quid horum negare: num corru-  
 pti me testimonii convincere: num rationes allatas re-  
 fellere potuit? Nil minus. Ne verbulo quidem hæc  
 omnia tetigit, tantum abest, ut solide refutarit. Et ta-  
 men mecum de illata cœtui suo injuria expostulat. Quo  
 jure, optimus quisque judicer. Urget, quod sui *disertis*  
*verbis veram, & realem C. & S. C. præsentiam fateantur,*  
*perinde ut Nostris.* Quasi vero ad ostendendum consen-  
 sum sufficiat mera in verbis convenientia, aut veritas in-  
 sono tantum hæreat, non *sensu*. Poterant hoc pacto etiam So-  
 ciniistæ de illata sibi injuria conqueri, si accusentur, quod  
 negent, *Christum esse verum DEUM*, cum & ipsi hoc facile  
 largiantur, si significetur *officiam*, & præterea de Chri-  
 sto sat magnifice aliquando loquantur ac disputent. At  
 enim consensus in *rebus*, non *verbis* quærendus est. In-  
 genue igitur, & propalam dico: non sufficit in Refor-  
 matorum scriptis vocabulum ostendisse præsentiam. Ad-  
 jici quoque, atque evinci debet, talem illos intellexisse  
 præsentiam, quæ substantiæ C. & S. C. ad substantiam pa-  
 nis & vini in S. C. adessentiam citra distantiam, mate-  
 riæque cœlestis cum elementis veram realemque com-  
 munionem involvat. Quod utrumque cum hucdum nec  
 adversarius ostenderit, nec ostendere unquam potuerit,  
 sequitur falsum esse, quod Reformati veram & realem  
 C. & S. C. in S. C. præsentiam corde, juxta & ore, nobis-  
 cum fateantur, ac doceant.

§. V. Hoc ipsum autem II.) in Dissertatione mea  
 probavi *diversitas* seu *destructive*, ostendendo a) quod  
*Calvinus*, & *Trebatius*, quorum verba pro se attulerat  
*Stri-*

*Strimesius*, etsi aliquando de praesentia C. & S. C. in Sacra Coena magnifice sentire & loqui videantur, revera illam non statuunt, idque ipsius Calvini, Trelcatiique verbis, sententisque evici. Forbesium vero ipsius *Sambroci* Collegam habet *Strimesius*, plus justo ad Pontificiorum partes propendere. Horum igitur testimoniis non confici posse tanti momenti rem. b) Etsi a nonnullis Reformatorum Sacramenta dicantur *Signa exhibitiva*, id tamen non fieri respectu ipsius C. & S. C. sed respectu efficaciam, & annexarum promissionum, & quia beneficia Christi per fidem digne utentibus conferant: quod denuo Calvinii, & Neostadiensium, aliorumque verbis ostendi.

§. VI. Hic autem exprimit vires suas *Strimesius*, & *initio* (N) in vindicandis suorum testimoniis, sed infeliciter, defudat. *Privatorum*, inquit, *sensuque suo abundantium Auctorum commenta sunt*, pleraque contra mentem eorum detorta, quasi ista omni reali C. C. in S. C. praesentiae opposita essent, quod tamen secus se habere ex testimoniis eorum in tractatulo meo adscriptis in proopatulo est: Certe, non magis Reformatorum Ecclesiam ista feriunt, quam Ecclesiam Lutheranam asserta quorundam vel Pietistarum, vel Syncretistarum, ac speciatim Calixti &c. Vellem autem distinctius disputasset h. l. *Strimesius*, & quanam verbis suis testimonia respexerit, prodidisset. Ipse enim aliqua pro sua: Ego pro mea opinione produxi. Ille, ad ostendendum *consensum*, Calvinii, Trelcattii, Cosini, Forbesii: Ego, ad demonstrandum *dissensum*: Braunii, Picteti, Gaurterii. Illi enim substantialem quandam C. C. in C. praesentiam praeseferunt: Hi absentiam procul ambagibus fatentur. De quibus itaque loquitur? Num de iis, quae ipse produxit? Id cur suspicer, causam habeo. De iis

B

enim

enim se agere scribit, quorum testimonia suo in tractatulo allegavit. Nihil autem ibi de Braunio, Picteto, Gaudio: sed de Calvino, Trencatio, Cosino, Forbesio. Horum igitur testimonia notat: minimum non excludit. Jam quid de his ipsis statuit? dicit: esse privatorum auctororum, suoque sensu abundantium, commenta. Atqui commenta dicuntur, quæ ficta sunt, & ab hominibus excogitata. Cujusmodi si illa sunt Strimesii testimonia, quo jure iis utitur ad probandum, idem olim Calvinum, Trencatium, reliquos, sensisse, de Cœna, quod senserit Lutherus, & ipse sentire videri cupit? Tantine intererat ostendisse consensum in somniis & figmentis? si Calvinus, Cosinus, ceteri, statuunt veram realemque præsentiam, & tamen hæc ipsa sunt hominum privatorum commenta, id est, ab iisdem conficta, cur moleste tulit, quod illam de vera & reali præsentia opinionem a Reformatis removi. Numne injuria est, cœtum quempiam a somniis, & commentis absolvere? An non, dum Calvini, Trencati-que commenta probat, Strimesius hoc ipso palam facit, se rebus confictis & inanibus delectari? Sed facile, quo significatu acceperit vocem subodoror. Nam quod aliis opiniones sunt & sententiæ, id ipsi commenta sunt, sensu quidem bonis auctoribus ignorato, sed tamen liberiori, quo utitur, scripturæ generi condonando. Videamus igitur de re ipsa. Dicit: *privatorum esse sententias, Reformatis omnibus non temere tribuendas. Sit ita. Cur vero istis ad ostendendum omnium Reformatorum, cum Nostris, consensum usus est? Cur ubi eos aliud scripsisse, aliud sensisse doceo, id injuriam toti Reformatorum cœtui illam interpretatur? Pergit: Non magis ista ferire, etiamsi detorta non essent, Ecclesiam Reformatam, quam Nostram quorundam vel Pietistarum, vel Syncretistarum.* Respondeo: Vide-

Videbatur loqui de illorum commentis, quorum testimonia suo in tractatulo adscripsit, adeoque de *Calvini, Trelocatii, Cofini, Forbesii* opinionibus. Nunc ea conjungit, quæ nisi adversarium imprudentem dicere velim, de aliis, quam quæ pro me adduxi, testimoniis intelligi nequeunt. Uno igitur & eodem loco contrarias miscet sententias, eademque prædicat de diversis. Laudo autem illud, vulgo quod dici solet: de distinctis distincte agendum esse. Sed, ut propius ad rem accedam, si allatæ mihi sententiæ, *Braunii, Picteti, Gauterii* non feriunt Reformatorem Ecclesiam, quia sunt *privatorum, sensuque suo abundantium auctorum commenta*, cur ipse privatorum e *Nostris, Hülfemanni, Pufendorfi, Calixti*, sententias easdemque propalam detortas, eo allegavit consilio, ut feriant, Nostram? Cur ad ea sola se recepit, cum ostendendum esset, dissensum inter Zwinglianos & Nostrum in Articulo de Cœna non esse fundamentalem? Si eæ, quas produxi, auctoritates *Bezeæ, Braunii, Picteti, Gauterii* non magis Reformatorem Ecclesiam feriunt, quam Pietistarum Nostram, numne omnes isti eodem Reformatis loco habentur, quo nobis Pietistæ ac Sanctuli? Videat hic Strimesius, ne dum *foris* pacem conciliare studet, *domi* novum diffidium excitet, novum bellum. *At*, inquit, *me pleraque contra mentem eorum detorsisse*. Pace tua dixerim, *Strimesi*, falsissimum esse. Equidem Nostrorum, ipsiusque adeo *Lutheri*, imo vero *Calvini*, sententiam contra eorum te attulisse mentem, est in proparatulo, ejusque rei hinc in *Dissertatione* mea de Cœna, hinc in *judicio de tuo tractatulo* fidem feci. Calvinum saltem suis in institutionibus veram & substantialem præsentiam C. & S. C. in S. C. non credidisse adeo verum est, ut tuus ipse, nisi vehementer fallor, Collega, *in der Duplique wider*

der die Historie/ von den ersten religions-moribus S. 40.  
p. 54. palam fateatur, *hujus sententiae in omnibus Calvinii institutionibus nec volam nec vestigium apparere.* Et postquam hoc ipsum ex visceribus textus utrobique ostensum dedi, tu ne verbulum quidem reponis ad ista, eoque victum te esse tacite confiteris. Uter itaque nostrum Calvinii torfit sententiam? Egone, qui illud non statuisse illum, quod quidem tu ipsi tribuis, conceptis ejus clarisque verbis docui? an tu, qui talia ipsi affingis, de quibus, vel Collegæ tui judicio, Calvinus, cum scriberet Institutiones, ne cogitavit quidem? Excipis: *Braunii, Picteti, Gauterii verba reali presentiae opponenda non esse.* At illi non aliquam modo negant presentiam, sed omnem. Repeto verba: *Braunius: Data sunt, inquit, Sacramenta, ut sint sigilla rerum NB. non presentium, sed absentium.* Et Pictetus: *Corpus, ait, Christi, non est presens in Eucharistia, ita ut sit actu, & NB. realiter in Sacramento.* Denique Gauterius scribit: *Corpus Christi, quod ascendit in caelos, non est his in terris, in Eucharistia presens, presentia NB. reali, & proprie dicta, sed tantum mystica, & spirituali.* Vides hic Reformatos tuos non crassam, Capernaiticam, & carnalem, sed omnem actualem, veram, & realem, proprieque dictam presentiam negare. Presentia enim talis, quæ tantum mystica est & spiritualis, quod mox constabit, omnem realem presentiam excludit, ac ne dici quidem meretur presentia. Adde nunc Altingium, qui P. I. probl. Theol. p. 226. scribit: *Corpus Christi non est presens in Sacra Coena, tanquam in loco, est enim in caelo: nec non Sedanenses, qui T. I. Thef. p. 843. scribunt: Presentiam corporalem Christi in Eucharistia, qua Sat an jam ab aliquot seculis homines fascinat, respicimus: denique Abr. Heidanum, qui T. II. Corp. Theol. c. XIV. de Sacram.*

p. 535. *Ex verbis, inquit, Christi nudis, & per se spectatis non necessario sequitur NB. realis presentia corporis Christi in Sacra Cœna; sed tantum, quæ Sacramento convenit.* Et p. 536. *subjectum panis non permittit, ut Cœna sit NB. vere & realiter corpus Christi.* Color itaque est, & fucus, quando hæc, aliæque id genus, testimonia conciliare cum suis, eisdemque a negata C. & S. C. in S. C. præsentia absolvere *Strimesius* sustinet.

§. VII. Monet (☞) *non omnia in auctoribus legi, quæ in iis extare innuam: e. gr. in Trelcatio: quod nec locali, nec illocali modo corpus Christi in terra præsens sit: non extare.* Responderur: Id vero per injuriam mihi tribuitur. Unum allegat *Trelcatium*, tanquam mala fide a me citatum. Nec potuit plures. Et tamen ceu de pluribus loquitur. Nempe quo tanto major de me suboriretur corruptelæ suspicio. Sed quid quæso est, quod in verbis e *Trelcatio* a me adductis improbet? Negat apud illum extare, *quod nec locali, nec illocali modo C. C. in terra præsens sit.* Tuam fidem, *Strimesi!* Quo loco, qua pagina, qua linea scripsi, totidem id verbis in *Trelcatio* extare? Id volui: sententiam esse *Trelcatii*, quod C. C. nec localiter nec illocaliter adsit. Id vero num sensisse *Trelcatium* negas? Annon Cœna Domini administratur in terra? annon negat signum & signatum, id est panem & C. C. conjungi localiter per indistantiam? Recito verba: *Cœna Domini interna quidem & propria est conjunctio signorum, & rei signate non naturalis - - - non localis NB. per indistantiam, sed relativa & sacramentalis.* Annon tui non satis memor pagina proxime sequenti agnoscis, quod *Trelcatius incircumscriptivum Corporis Christi adessendi modum in terris negarit?* Incircumscriptivum vero & illocale num

differunt? Expromantur rationes differentiæ, si adsunt. Meo iudicio circumscriptum & locale: *incircumscriptum* & *ilocale* coincidunt. Jam cum Trelcatus C. C. & localiter, per indistantiam, & incircumscriptive seu illocaliter adesse neget in terris, quo me nunc jure in corruptæ auctoritatis suspensionem adducere studeas? Ne quid de eo addam, quod, si omnia sint refecanda ad vivum, tute hunc ipsum Trelcatus locum, quem a me mala fide citatum fingis, corrupisse videri possis, cum verba nonnulla, eademque ad integritatem sententiæ necessaria, mea in editione Wecheliana extent, quæ tua in allegatione desidero.

§. VIII. Obvertit (1.) Quicquid de *intentionali vel effectiva præsentia nonnulli attulerint, id soli corporali, & crassa, vel locali, in, cum & sub pane Eucharistico adessendi modo oppositum voluisse*, quorsum denuo allegat Trelcatus. Respondemus: (a.) Intentionalem & mere effectivam præsentiam non esse veram, realemque præsentiam, & supra ostendimus, & in Dissertationis §. III. ipsius Calixti verbi docuimus, & causis allatis probavimus. (2.) Si modus in, cum & sub Eucharistico pane adessendi crassus est, & localis, cur tuo in tractatulo his ipsis vocabulis Calvinum hoc in argumento usum fuisse ostendere es conatus? Annon, *Crocio* teste in *Syntagm. p. 1158.* has particulas Veteres quoque hoc in argumento adhibuerunt? Multo te perspicacior *W. Musculus* fuit, qui in *L.L. f. 355.* easdem præsentiam non crassæ & localis, sed *realis & corporalis notas* agnoscit. Has ergo dum improbas, vel saltem fugillas, ipsam quoque veram realemque præsentiam rejicis, utut eam vel maxime asseverare videre velis. (3.) Reformari omnes, quam splendide etiam loqui de præsentia C. & S. C. vi-



C. videantur, non nisi *mysticam & spiritualem*, quæ fiat *per fidem*, intelligunt. Hanc vero præsentiam veram & realem esse, tum demum credam, ubi ostensum fuerit, fidei humanæ majorem esse, quam ordinationis divinæ potentiam, eandemque res toto cælo sejunctas, perpetuoque a se invicem distantes conjungere nihilominus, & copulare reipsa posse. (4) Quod ad *Trelcatium* attinet, negat is propalam, C. & S. C. in C. & circumscriptive & *incircumscriptive*, seu, quod idem est, & *localiter*, & *illocaliter* adesse. Quæ autem præsentia nec localis nec illocalis est, illa omnino *reali* opponitur, & plane nulla est. Persto igitur in sententia, nec *Trelcatium* nec *Reformatos* alios, veram & realem præsentiam C. & S. C. in S. C. unquam statuisse.

§. IX. Frustra hic a Strimesio jactatur, *Reformatos*, *citra omnem simulationem*, *mecum* *fassuros*, quod *sacramenta sint signa exhibitiva non modo ratione solarum promissionum, usus & fructus, sed & ratione materia, ut loqui amant, cælestis, seu quoniam in iis, per elementa externa & visibilia, res cælestes ac invisibiles non modo significantur, aut utcumque representantur, sed etiam dispensantur. Id enim non modo Trelcatium, & Doctores singulos, sed & integras Confessiones, utpote Marchicam, seu Thoruniensem dotere, cujus etiam verba p. 158. sq. allegat. Sed vero quis non intelligat, Reformatos denuo videri velle Nobis accedere, cum revera ab nostra sese opinione removeant. Nec enim aliam vel exhibitionem, vel dispensationem intelligunt, quam *per fidem*. Nam si elementa exhibent res cælestes, sequitur, quod easdem sibi intime, utut supernaturali & cælesti modo habeant adjunctas. Omnis enim substantiæ *exhibitio*, exhibendæ rei substantialem *adessentiam* supponit. Reformati autem*

tem contendunt, Corpus Christi tantum abesse a pane consecrato, quantum cœlum distet a terra. Numne igitur elementum panis poterit esse medium exhibens Corpus Christi, a quo toto cœlo sejunctum est? Crocius in Syntagm. L.IV. c. 14. p. 1158. inquitur, *panem & vinum secundum loci indistantiam Corpori & sanguini copulari.* Braunius manifeste scribit: *elementa esse signa rerum, non presentium, sed absentium.* Gauterius palam negat, *elementa res ipsas continere.* Si proinde non adsunt Corpus & Sanguis Christi, si non continent (modo tamen cœlesti ac ineffabili,) eadem elementa, si non copulantur Corpori & Sanguini Christi, quomodo exhibentur? Rata & firma sententia est: *Exhibitio rei presentis est, non absentis.* Elementa igitur panis & vini, vel non exhibent res cœlestes, vel, si exhibent, Corporis & panis, sanguinis & vini substantiæ erunt intime, utut supernaturaliter, copulatæ. Quod posterius cum de novo procul ambagibus infitientur adversarii, patet, *citra simulationem dicere illos non posse, quod sacramenta sint exhibitiva, non modo ratione promissionum, usus & fructus, sed & substantia materiaque cœlestis.* Nos, ubi sacramenta dicimus esse *exhibitiva rei cœlestis*, id volumus, quod, propter unionem sacramentalem, supernaturalem quidem, sed tamen realem, & cum mutua substantiæ unius ad alteram adessentia conjunctam, *in, cum & sub* elementis visibilibus materia cœlestis, in ipso usu Cœnæ, adit ac dispensetur, ita ut C. & S. C. non modo adsint *nobis*, sed etiam, vi ordinationis divinæ, *pani ac vino* consecratis. Atqui tuo ipsius iudicio, *Trelcatius, Braunius, Pictetus*, reliqui, negant præsentiam C. & S. C. *in, cum & sub* pane ac vino. Ergo eo sensu non credunt Sacramenta esse *exhibitiva*, quo sensu credunt ac  
statu-

statuunt Lutherani. Enimvero Reformati non per elementa, tanquam per media *μεταδοτικά*, seu *προσφερόμενα*, nec propter intimam utriusque substantiæ conjunctionem, & communionem, quam manifesto impugnant, sed separatim, atque sejunctim panem & vinum: separatim atque sejunctim, (ratione præsentiae) Corpus & Sangvinem Christi dispensari existimant. Uti enim homines illuminari docent per verbum lectum & auditum, non tanquam per *organum* in se efficax: sed una cum verbo lecto & audito, ita ut, *quo tempore externe auditur*, & legitur verbum, *eodem tempore, interne Spiritus S. immediate* illuminet hominem ac convertat; sic fingunt, offerri ac dispensari res cœlestes, non *per ipsa elementa* visibilia, & externa, tanquam vehicula quædam, aut media *προσφερόμενα* (cur enim alias negarent in, cum & sub elementis eas esse præsentis?) sed *una cum elementis*, ita ut exhibitio elementorum conjuncta quidem sit cum exhibitione rerum cœlestium, *verum* ratione *temporis & momenti*, non ratione *substantialis adessentia*, & loci, cum illa exhibeantur *in terris* a ministro, hæc *in Cœlis* a Deo: & illa accipiuntur *ore corporis*, hæc *ore fidei*. Ita rem declarat Trelocatius: *sunt*, inquit, *signa Sacramentalia exhibitiva, quod iis Christus sese, panem cœlestem, vere præbeat & exhibeat animæ nostræ. Unde in Cœna res maxime diversæ, terrena & cœlestis, aqua, id est, simul tempore, licet non, ôm̄s, id est, simul loco proponuntur & traduntur.* Num vero hoc est Sacramenta dicere exhibitiva sensu Lutheranorum, qui in Sacramentis per elementa externa & visibilia etiam res cœlestes non modo *âqua*, seu *simul tempore*, sed & *ôm̄s* id est, *simul loco*, adeoque in terris, nec tantum *animæ per fidem*, sed etiam *corpori per os*, exhiberi ac dispensari contendunt?

C

§. X.

§. X. Equidem nos hoc in argumento, quo de utriusque cœtus Lutherani & Reformati, in Articulo de Cœna, sententiâ disputatur ad Confessionem suorum *Thoruniensem* Adversarius remittit, in eaque eadem, quæ doceantur a nobis, & tanto studio defendantur, comprehendendi putat. Neque etiam negaverim, verbis eandem speciosis, & quodammodo ad Nostrorum palatum compositis adornatam fuisse. Certe pulchrum quid & egregium sonant illa, quæ *Strimesius* allegat: Nequaquam statuimus nuda, vacua, inania signa, sed potius id, quod significant & obsignant simul vere exhibentia, tanquam certissima media, & efficacia instrumenta, per quæ corpus & sanguis Christi, adeoque Christus ipse, cum omnibus suis beneficiis, singulis vescentibus exhibetur, & offertur, credentibus vero, confertur, donatur & ab ipsis in cibum anima salutarem & vivificum acceptatur. Nequaquam etiam negamus veram Corporis in Cœna presentiam, sed tantum localem & corporalem presentiam modum, & unionem cum elementis substantialibus; Ipsam vero nobiscum presentiam sancte credimus, & quidem non imaginariam, sed verissimam, realissimam & efficacissimam, nempe ipsam illam Christi nobiscum unionem mysticam, quam ipsemet ut per verbum promittit, & per symbola offert, ita per spiritum efficit, quamque nos per fidem acceptamus, per charitatem sentimus, secundum vetus illud dictum: Modum sentimus, modum nescimus, Presentiam credimus. Unde porro patere dicit, non solum virtutem efficaciam, operationem, aut beneficia Christi nobis presentari & communicari; sed imprimis ipsam substantiam Corporis & sanguinis Christi: --- nec animas solum sed & ipsa corpora, corpori Christi per illius spiritum mediante fide uniri &c.

§. XI. Hæc inquam, grande quid & magnificentum,  
 sonant, & si *verba* quidem spectes, quendam cum no-  
 bis, hoc in capite, consensum præ se ferunt. Ceterum  
 si penitus inspicias, accuratiusque examines, facile de-  
 prehendes insidias, quas post alios *D. Hulfemannus pecu-*  
*liari examine* feliciter detexit. Nobis in præsentî suffe-  
 cerit, ea tantum, quæ pertinent ad institutum, notasse.  
 Primo (I.) hac in Confessione *Corpus & Sanguis Christi,*  
*adeoque Christus ipse, cum omnibus beneficiis suis, singulis*  
*descendentibus* exhiberi & offerri, credentibus vero confer-  
 ri & donari dicuntur. Nolim initio monere, quod hæc  
 verba, quandam *spiritualis* manducationis cum *sacra-*  
*mentali* confusionem redoleant, cum certum sit, spiri-  
 tualem pro objecto totum Christum *θεῶν ὁμοιωσιν,* a-  
 deoque & animam ejus; Sacramentalem vero tantum  
 carnem & sanguinem ejus, vi primæ institutionis, pro  
 objecto habere. Mitto & istud, quod *exhiberi & offerri*  
 h. l. ceu idem notantia conjunguntur. Memini enim,  
 Balæo, & aliis, τὸ *exhiberi* non idem esse, quod *revera*  
*dispensari,* sed *sumendum offerri,* ut *Selneccerus in Notis ad*  
*Recitat. suas in F. C.* pridem submonuit. Magis suspectum  
 est, quod C. & S. C. *credentibus* dicuntur conferri. Hoc  
 ipso enim non modo indigni a participatione illorum  
 excluduntur, sed ipsa etiam exhibitio non ab institutio-  
 ne & *voluntate Dei,* atque hinc oriunda sacramentali  
 unione, sed a *Fide* participantium derivatur. Quod si  
 res cœlestes exhibentur per fidem, non exhibentur  
 per panem & vinum: si non per panem & vinum,  
 sequitur, quod hæc vacua sint & inania signa, quod ta-  
 men Reformati videri volunt negare. (II.) Porro hac  
 in Confessione *unio corporis Christi cum elementis* sub-  
 stantialibus propalam negatur. Atqui ubi nulla est  
 C 2 inter

inter materiam cœlestem, & elementa unio, ibi nec præ-  
 sentia. Tolle unionem ignis & ferri accidentalem,  
 corporis & animæ naturalem, DEI & hominis persona-  
 lem, & simul removebis ignis ad ferrum, animæ ad  
 corpus, λόγος ad carnem præsentiam. *πλαστικότητα* est, quod  
 in Confessione *non vera præsentia, sed localis & corporalis*  
*unionis modus* negari dicitur. Per veram enim, quam  
 jactat, præsentiam, non nisi *representativa, objectiva, &*  
*effectiva* notatur, fatente *Martinio de persona Christi c. U-*  
*biquit. p. 80.* Quæ omnia vero præsentia genera ne no-  
 men quidem veræ præsentia merentur. *Representati-*  
*va*, enim signi tantum, non item signati præsentiam in-  
 fert. *Objectiva* rei percipiendæ & applicandæ præsen-  
 tiam supponit, non præstat: *Effectiva* præsentiam con-  
 sequitur, non constituit aut ingreditur. Istis igitur ver-  
 bis Confessio simul & alienam nobis mentem affingit,  
 & veritati vitium infert. *Illud* quidem, dum *localem &*  
*corporalem* unionis modum nobis affingit. Etsi enim cor-  
 poralem in Cœna præsentiam, ratione *Objecti, & rei præ-*  
*sentis*, cum Apologia docemus, non tamen corporalem  
 materiæ cœlestis & terrenæ conjunctionem, qua *modum.*  
 Nec enim omne corpus, statim corporaliter est præ-  
 sens. *Hoc* autem, dum videri vult removebere crassum  
 physicumque unionis & præsentia modum, cum tamen  
 revera omnem materiæ cœlestis cum elementis com-  
 munionem neget, eoque ipso Evcharistiam, quæ, teste  
 Irenæo, ex duabus rebus constare debet, funditus de-  
 struat. (III.) Nec illud suspicione vacat, quod C. & S. C.  
*non elementis substantialibus, pani & vino, sed nobis præ-*  
*sentia esse dicuntur. Ipsam,* inquit, **NOBISCUM** præ-  
 sentiam sancte credimus. Hoc enim denuo præsentiam  
*per fidem, seu imaginariam, & objectivam* sapit. Atqui ex  
 natu-

natura myſterii hujus requiritur, ut pars *caeleſtis* actualiter exhibita, ſit apud partem *terreſtrem*, per quam diſpenſatur, quicquid ſacramentaliter diſpenſatur. Quicquid igitur eſt in S. C. ut pars cœleſtis, id in pane ac vino eſt, modo ineſſendi divino ſupernaturali ac ineffabili. Jam porro in Sacra Cœna nihil eſt præter panem & vinum ad quod præſentia C. & S. C. ſacramentalis & ſingulariſſima ſit ordinata. Ad id enim præſentia C. & S. C. haud dubie eſt ordinata, ad cujus exhibitionem ejus promiſſio eſt adjecta. Adjecta vero eſt ad exhibitionem panis promiſſio præſentia C. & ad exhibitionem vini promiſſio præſentia ſanguinis Chriſti. Ergo ad hanc quoque eſt determinata C. & S. C. præſentia, eademque non modo *cum nobis per fidem, ſed & cum elementis per voluntatem DEI* inſtituentis credenda eſt. (IV.) Nec illud præteriri a nobis debet, quod illa in Confefſione *talis in Cœna docetur unio cum nobis, quam uti Chriſtus per verbum promittat, & per ſymbola offerat, ita per Spiritum efficiat, credentes autem fide accipiant.* Sic enim omnis materia cœleſtis in S. C. præſentia videtur non a *voluntate & potentia* DEI inſtituentis, ſed a *Spiritu S. & Verbo*, & noſtra ipſorum *fide* arceſſi. Atqui, ſi rem recte putamus, nec Spiritus S. nec Verbum DEI, nec Fides noſtra præſentia Chriſti in Cœna cauſa ſunt. *Spiritus enim ſanctus a Patre, Filioque procedens, non aliter concurrit ad præſentiam divinam, quam Pater, & Filius. Nec facit is, ut vel Pater, vel Filius nobis adſint, etiam gratioſa præſentia, cum uterque ex ſe, & per ſe ſint præſentiffimi. Ipſam igitur præſentiam non efficit, reſpectu vel Patris, vel Filii, ſed tantum reſpectu noſtri, quia inſtruit nos & præparat, ceu Spiritus Sanctitatis & gratia, ut oblata in Sacramento bona accipere, & recipere poſſimus.* *Verbum*  
C 3 quo-

quoque ex parte DEI *medium* est offerendi illud, quod  
 adest, non autem efficit, ut hoc illudve adfit. Propo-  
 nit enim rem, ut est. *Præsentem*, ut præsentem: *Præteri-  
 tam*, ut præteritam: *Futuram* ut futuram. Et quando  
 rei præteritæ meminit, non facit eam *adesse*, sed *prodesse*.  
 Quapropter non ideo, in se, benigne præsens nobis est  
 Christus, quia verbum promittit, sed ideo promittit,  
 quia Christus benigne adest, & adesse constituit. Nimi-  
 rum verbum est *medium* præsentis, non *causa* præsentia,  
 nisi quatenus virtutem DEI efficit, ut a nobis recipia-  
 tur: & Christus non incipit adesse sua gratia *vi verbi*, sed  
*vi sua* per verbum explicata, & in verbo sese exerente.  
 Denique *Fides* non facit C. & S. aut *absolute*, aut *nobis* in  
 his terris præsentia, proprie loquendo, ut *causa offerens*,  
 & communicans, sed ut *medium*, vel *organon recipiens*.  
 Nullibi enim hanc promissionem accepit Fides, quod  
 possit, vel debeat sibi corpus Christi absens præsens fi-  
 stere, sed substantialiter præsentem spiritualiter vesci.  
 Itaque Reformati perpetuo confundunt *essentiam* Sacrae  
 Coenæ, cum *salutari usu*, cujus qui particeps fieri cupit,  
 fide instructus sit oportet. Verbo: Fides apprehendit  
 præsens, non facit, nec ad *Sacramentum* ipsum, sed Sa-  
 cramenti *fructum* requiritur. Bene hanc in rem B. Dorſchens  
 c. Zwingerum p. 299. *Fides*, inquit, & *Verbum DEI*, & *Spiritus*  
*Sanctus* non faciunt, ut C. & S. in S. C. sint nobis præsentia,  
*præsentiam* in se constituendo, in illis rebus caelestibus, sed præ-  
*sentiam* applicando, & nos ad tanti thesauri præsentiam pa-  
*rando*, & in *caëlo* coelestem collocando. Unde illa phrasæ,  
 quæ dicunt, *fidem*, etiam futura, *absentia*, facere præsentia,  
 recte sunt explicandæ. Aut enim loquuntur de præsentia rei  
 in se, aut de præsentia per modum conceptus objectivi, aut  
 de præsentia divina recepta, & per resistantiam nullam malitia-  
 sam



*ſam excluſa. De priori, falſa eſt aſſertio. Qua enim ex parte DEI ſunt, illa ex ſe & divina ordinatione, ordine ſaltem natura, antegrediuntur fidem. Si de ultimo ſermo ſit, jam non de origine præſentia, ſed de termino reſpondetur, de quo nos non diſquirimus. Si de præſentia per modum conceptus obiectivi ſermo ſit, dico, illam eſſe præſentiam intentionalem, non realem, non rei, ſed notitia. Conſentit Hülſemannus in ſupplem. Breviar. Art. XIII. p. 50. Illa, inquit, imaginaria attractio ſubſtantia phyſica C. C. de coelo, in animam ſumentis Euchariftiam; ſive etiam elevatio fidei in coelum ad ſphæram C. C. quæ per fidem ſumentis fieri dicitur, eſt modus temere conſictus, nulla DEI revelatione nixus. Nec enim vera fides, nedum imaginaria, ſed verbum & promiſſio inſtituentis Euchariftiam faciunt ſubſtantiam phyſicam coeleſtium in Coena percipiendarum, tum communicantibus ipsis, tum ipſorum fidei, ſubſtantialiter eſſe præſentem. Quantacunque igitur de vera, imo veriſſima, realiſſima, efficaciſſima, corporis Chriſti præſentia jactet Thoruniſis Confefſio, tamen illa ſpecioſa ſunt magis, quam ſolida, nec unquam ſagacioribus ſatisfactura.*

*§. XII. Nec ſufficit, quod (I.) negatur in eadem, ſtatueret Reformatos nuda, vacua, & inania ſigna, ſed potius id, quod ſignificant, & obſignant, ſimul vere exhibentia, tanquam certiſſima media & efficaciſſima instrumenta &c. Enimvero ſigna & exhibitiva, & inania dici poſſunt duplici modo. Primo intuitu rei coeleſtis, prout hæc, per elementa externa & viſibilia, vel exhibitur vel non exhibitur. Deinde intuitu fructus & efficacæ, prout hæc uſurpationem cœnæ ſequitur, vel non ſequitur. Reformati negant eſſe inania ſigna, & contendunt eſſe exhibitiva, non ratione rei coeleſtis, ſed fructus, & efficacæ. Quod patet, quia, ſi prius illud ſtatatur, ſequitur (a.)  
quod*

quod elementa, vel signa, signata sua in se contineant, non quidem *physice*, sed tamen super naturaliter atque *eminenter*. Removet enim vacuitatem, ut ita loquar, Confessio, non modo quoad *virtutem*, dum dicit: *efficacia media*; sed etiam quoad *substantiam* dum nominat *exhibentia*. Hoc ipsum vero aperte negat *Gauterius in Theol. Did. p. 502.* negant Reformati omnes. Aliud ergo loquuntur, aliud sentiunt. Sequetur (b.) quod elementa vel signa cum C. & S. C. tanquam signatis, intime sint, utut supernaturaliter, conjuncta. Quodcunque enim non vacuum est, & inane, sed exhibens signum, id cum signato, ceu re exhibenda, unitum sit, eoque velut imprægnatum, oportet. Ast hoc denuo diserte negat Confessio: *Negamus, inquit, unionem Corporis & S. C. cum elementis substantialibus.* E. Sequitur (c.) quod in ipsa cœna omnibus manducantibus & bibentibus non modo elementa & signa, panis & vinum, sed & C. & S. C. tanquam signata, procul omni discrimine, dispensentur. Unde enim docebitur, rei signatæ præsentiam, quam in exhibitione supponi oportere supra ostendimus, ad solos digne utentes S. Cœna restrictam esse? Et tamen Confessio illa Reformatorum statuit: *quod Christus omnibus quidem vescentibus offeratur, Credentibus autem conferatur.* Sequitur (d.) signata non modo *nobis* manducantibus & bibentibus, sed etiam *signis*, hoc est, elementis panis & vini, adeoque rei manducandæ & bibendæ esse præsentia. Recte hanc in rem *Hülsemannus in Exam. hujus Conf. Art. VIII. Aph. II. §. 6.* *Exhibitio, inquit, vera & realis præsupponit præsentiam C. non imaginariam & virtute fidei factam; sed indistantem a nobis, veram ac realem, sive substantialem, essentialem & corporalem.* Hanc autem negat Confessio: *Negamus, inquit,*

inquit, *unionem cum elementis substantialibus: ipsam vero nobiscum presentiam sancte credimus.* Meris ergo se ambiguitatibus Confessio implicat, dum Sacramenta signa exhibitiva dicit, & tamen signatorum ad signa præsentiam removet. Certe ex hucdum disputatis liquet, quod, nisi qua *fructum & efficaciam, promissionumque applicationem*, hoc nomine nunquam a Reformatis vocentur.

§. XIII. Nec sufficit (II.) quod *veram Corporis in Coena presentiam* præ se ferunt. Etenim (a) S. Coena nullibi instruitur, quam *in terris*, si de loco divinæ actionis, disputes, non *statu*. Spectat enim Coena ad regnum gratiæ, nullibi quam in terris quærendum. Tum vero C. & S. C. prout ingrediuntur Cœnam, referuntur ad triadem testium in terra, 1. Joh. V, 8. Omnes denique actiones concurrentes ad Cœnam, *preparatio, consecratio, δόσις & λήσις, nec non commemoratio mortis Domini*, instruantur in terris. Si ergo Corpus Christi vere, & quoad substantiam, adest in Cœna, vere quoque aderit, & substantialiter in terra. Hoc autem posterius Reformati constanter, & perpetuo negant. E. prius illud candidè, ingenueque non credunt. (β) Præsentia Christi in Cœna, haud dubie, nec *humana* est, nec *angelica*, neutra enim ad sacramentum suffecerit, sed *divina*, eademque non *gloriosa*, quæ ad coelites est restricta, nec *universalis* quæ est ad omnes creaturas extensa, sed *gratiosa*; respectu hominum, quoniam vergit ad *remissionem peccatorum* *Matth. XXVI. 28.* quæ omnium consensione spectat ad regnum gratiæ. At vero non datur *divina presentia*, quæ non involvat *substantie propinquitatem, citra distantiam*: Ergo Christus quoque aderit in Cœna *substantialiter, citra distantiam*. Hoc autem uno omnes ore ac mente Reformati negant: E. quam illi jactant

D  
Corpo-

Corporis C. in S. C. præsentiam, non est vera. Porro  
 (γ) præsentia vera est ex numero *relatorum*, adeoque  
 non *simplicem rei existentiam*, sed rei jam existentis ad  
 alteram *substantialem adessentiam* involvit. Si ergo,  
 quod Confessio dicit, Corpus Christi vere adest in S.  
 Cœna aderit alteri substantialiter, & quidem vel *man-*  
*ducantibus*, vel rebus *manducandis*, vel *manducationi ipsi*.  
 At vero ex mente Reformatorum non adest *mandu-*  
*cantibus*, quoniam alias adesset etiam indignis, quod ne-  
 gant: non rebus *manducandis* & bibendis, quia id fieri  
 citra substantialem cum iis unionem non potest, quod  
 denuo negant: non denique *manducationi ipsi*, quia hæc  
 peragitur in terra, cum illorum opinione Corpus Chri-  
 sti contineatur, & includatur cœlo. Ergo ex ingenua  
 Reformatorum sententia plane non adest in Cœna Cor-  
 pus Christi. Adde argumentum Dorschei, quo contra  
 Zwingerum utitur: *Quæ, inquit, pars substantialis ex-*  
*istens sacramenti non adest vel parti terrena, vel aliis acti-*  
*bis substantialibus ipsius sacramenti, imo adest tantum per*  
*ἰσχυρισμὸν quandam, ἢ ἰσχυρὰ Φιν, seu πρὸς ἴσχυρὰ Φιν, adeoque*  
*per modum conceptus objectivi intellectui hominis represen-*  
*tati, illa non est vera ἢ reali presentia in illo sacramento*  
*presens. Atqui C. ἢ S. C. ut pars substantialis existens Sa-*  
*cramenti Cœnæ, non adest pani, seu parti terrena, neque*  
*aliis actibus substantialibus ἢ c.* E. quicquid jactet, ac  
 præ se ferat Confessio, secundum Reformatos, Corpus  
 & Sanguis Christi non sunt vere & realiter in sacra-  
 mento Cœnæ præsentia, idque Braunius, Pictetus, Gauter-  
 rius, Altingius, Sedanenses, Heidanus, quorum supra tes-  
 timonia dedimus, & integerrimus quisque inter Refor-  
 matos, candide ingenuæque fatentur.

**§. XIV.** Nec sufficit (III.) quod jactatur: non solum virtutem, efficaciam, operationem, aut beneficia Christi nobis presentari, & communicari, sed imprimis ipsam substantiam corporis, & sanguinis Christi, seu ipsam illam victimam, pro mundi vita datam &c. Etenim si queratur: quo medio communicetur ipsa Christi substantia? Respondetur in subsequens: *Ut ore corporis rem terrenam, ita fide cordis rem coelestem acceptamus*. Atqui communicatio substantiæ Christi per Fidem non est sacramentalis, de qua tamen disputatur h. l. sed mere spiritualis, etiam extra Coenam obtinenda. Quando enim in Sacramento Christus animæ fidei presentatur, & communicatur, tum id fit presentia, & communicatione divina cum elementis & re terrestri oblata, adeoque presentia & communicatio Christi prius terminatur ad elementa, ceu medium, antequam animam fidelem attingit, ut scopum. Unde & panis, quem frangimus, dicitur *νομινία* ipsius corporis, & calix, cui benedicimus, dicitur *νομινία* ipsius sanguinis Jesu Christi. In spirituali vero communicatione Christus sese, etiam secundum divinam naturam, communicat credentibus. At non per elementa, quod sacramentali est proprium: sed per veram fidem. Cum proinde negatur in Confessione corporis Christi, cum elementis substantialibus, unio, quomodo, mediantibus illis, substantia ejus communicabitur, quod tamen est de essentia manducationis sacramentalis? Adhæc, communicatio substantiæ Christi includit *δοξιν*. Fides autem non est medium *δοξως*, sed organon *λήψεως*. Oportet ergo, ut in Sacramento, ceu signo, ut Reformati fatentur, exhibente, saltem ordine naturæ prius præsens sit Christus, antequam præsens accipiatur fide. Nisi ergo quis credat substantiæ Christi cum elementis communionem,

quam tamen propalam inficiatur confessio, substantiam  
ejus sacramentaliter in Coena nobis & praesentari & com-  
municari ingenue confiteri non potest. Hinc bene &  
sapienter Vaek. de uniendis Christianorum animis in ap-  
pend. P. II. p. 493. *Quoties, inquit, Calvinus cum suis  
tradunt, Christum ab Eucharistia non excludi, sed integrum  
DEUM atque hominem, a piis sumi, toties, similia loquun-  
tur cum Orthodoxis, & dissimilia sentiunt. Nam non nati-  
vum Christi corpus intelligunt, quippe quod caelo includunt,  
--- sed corporis & sanguinis illius virtutem, beneficia, & com-  
munionem fide obtineri, & cum carne Christi per Spiritum eius  
in credentes derivari.*

§. XV. Satis mihi videor fecisse fidem, quod Stri-  
mesius frustra sudaverit in ostendendo Reformatorum  
cum Lutheranis, quoad veram & realem C. & S. C. in S. C.  
praesentiam, consensu. Transeo nunc ad Caput *secun-  
dum*, & ductu Formulæ C. demonstro, Eosdem etiam a  
Nostreis recedere in argumento de *Sacramentali Unione*.  
Nos enim cum Formula C. credimus, docemus, & con-  
fitemur, quod, vi omnipotentissimæ voluntatis divinæ,  
in prima institutione revelatæ, res terrena, & cœlestis,  
panis & vinum, corpus & sanguis Christi in ipso actu  
Coenæ, durante *δοσὶ καὶ λήψει*, sic copulentur, ut distri-  
buto pane ac vino, *ἅμα καὶ ὅμῳ* vere adsint, & distribuantur,  
corpus & sanguis Domini. Contra vero Reformati,  
etiam recentiores, negant hujusmodi corporis & pan-  
nis, sanguinis & vini in ipso actu distributionis & acce-  
ptionis conjunctionem, finguntque mere *imaginariam*,  
*intentionalem*, ac *relativam*, per quam panis consecratus  
respiciat quidem significetque corpus, & vinum conse-  
cratum respiciat, significetque sanguinem, sed, citra in-  
distantem unius cum altero conjunctionem, quandoquidem

dem corpus & sanguis Christi, post suam in caelos elevationem, non alibi sit praesens, quam in coelis, elementa vero panis & vini non alibi sint, quam in terris. *Afirmamus*, verba sunt Observ. ad Harm. Conf. Obs. I. ad A. C. Sect. 14. *res istas significatas, nempe C. & S. C. non aliter, quam sacramentaliter esse cum signis conjunctas, cujus quidem sacramentalis conjunctionis veritas, non in eo sita sit, ut ubicunque signum adest, ibi quoque adsit res signo representata; sed in eo, ut quod addito signo DEUS promittit, vere id quoque sumendum ipse praebeat.* Unde & Crocius in Syntagm. L. IV. c. 14. p. 1158. *Panis & vinum, inquit, secundum loci indistantiam corpori & sanguini non copulantur.* Quo posito Sacramenti totius ratio & natura destruitur. Cum enim Eucharistia, quod *Irenaeus* docet, constet duabus rebus, terrena & coelesti, qui ea salva esse potest, citra utriusque conjunctionem, quam nervum quaeque animam tremendi hujus mysterii merito appellaveris? Uti enim non datur Homo formaliter integer, citra corporis & animae unionem *naturalem*: nec Servator, citra DEI & hominis unionem *personalem*; ita nec datur integra Coena citra corporis & panis, sanguinis & vini unionem *sacramentalem*. Quae ipsa vero plane tollitur, hoc uno, quod non nisi *relativa* docetur, quae uti non nisi improprie dicta est unio, sic nullam relati ad correlatum praesentiam, nullam relati cum correlato realem communionem importat. Quicquid enim de relatione signi & signati, & utriusque analogia adversarii fabulantur, id perinde est, ac si dicerem, *agnum Dei cereum*, quem Monialis gestat in pectore, sacramentaliter esse unitum cum *agno DEI*, qui sedet ad dexteram Patris, propter *ἁγιω* & relationem agni cerei ad agnum coelestem, & quandam utriusque convenientiam, siquidem

ut cereus appensus fuit de collo: ita coelestis est collocatus ad dextram DEI Patris. Cujusmodi cum in Dissertatione mea studio urserim, adversarius autem procul omni responsione transmiserit, quid aliud inde colligam, quam quod de nostro a Reformatis, hoc etiam in capite, dissensu fuerit convictus?

§. XVI. Dissentimus autem (III.) qua manducationem, & bibitionem C. & S. C. oralem, quam nos cum Form. C. credimus, docemus & confitemur, Reformati vero, sigillatimque Strimesius, ea de causa infitiantur ac negant, quod (I.) ipsamet teste Formula, C. & S. C. non Capernaïtico, sed supernaturali & caelesti modo, accipiantur, oralis autem manducatio & bibitio nihil supernaturale involvat, adeoque hæc duo inter se conciliari non possint. Monui autem contra, manducationem dici supernaturalem, non ratione organi, sed modi, imprimisque fundamenti, unionis scil. sacramentalis, prout ipsa declaraverit Formula. Nec pugnare secum, supernaturali modo, & tamen ore corporis accipi, quod ipsius Christi, post resurrectionem manducantis & bibentis, exemplo, Marlouli autem testimonio probavi. Excipit Adversarius: Organon manducationis omnium maxime ad modum manducationis definiendum facere. Quod tamen longe falsissimum est. Physica enim, & aconomica manducatio, cujusmodi fuit Christi & Angelorum apparentium in carne: Capernaïtica quoque & Sacramentalis, conveniunt organo, & tamen differunt modo. Imo vero mere mentalis & pure spiritalis conveniunt, pro Adversarii opinione, organo, nempe mento, & tamen distinguuntur modo. Parum ad rem est, quod additur: Manducationem in casu recto dicere actionem per organum, per hoc igitur eandem modificari. Nam & visio dicit actionem per organum, non,



non, nec tamen eadem ab eo modificatur. Jobus vidit olim Deum sibi apparentem: Apostoli viderunt DEI filium manifestatum in carne: utrique eundem vident in coelis in regno gloriae, iisdem oculis, eodem organo, nec tamen eodem modo. Urgetur: *si manducatio sacramentalis est oralis, non amplius erit mere supernaturalis, sed, saltem respectu organi, naturalis, imo carnalis, cum organon illud a carne excludi nequeat.* Responsio. Quid tum? Numne propterea visio DEI beatifica definit esse supernaturalis, quia, pro multorum saltem opinione, fit oculis divorum corporeis? Num propterea Christum Servatorem supernaturaliter natum esse negabimus, quia perinde, ut nos omnes, natus est ex muliere? Numne ab actionibus supernaturalibus naturalia omnia excluduntur? Cave ne fidem ipsam e supernaturalium numero censuque ejicias, cum eadem sit ex auditu, quem hactenus esse naturalem negare non poteris.

§. XVII. Docuerat (2.) Strimesius oralem manducationem, quam Form C. statuat, ideo probandam non esse, *quod manducatio corporis solidi, cujusmodi Christus habeat, sine masticatione, dentium contritione, deglutitione, in ventriculum demissione, per alvum ejectione ne concipi quidem possit.* Negavi autem hoc ipsum, & contrarium in dissertatione exemplis, rationibusque ostendi. Strimesius, quo colorem inducat erroribus, latius evagatur, & de variis manducandi generibus ita disputat. Manducationem aliam esse *propriam*, aliam vero *impropiam*. Illam esse actionem quandam *naturalem*, seu *physicam*, cujus ad *essentialia* non modo rei esculentae vel potabilis *in os receptionem*, sed & *ad interiora demissionem* refert, quam ipsam vero demissionem vel per *deglutitionem*, quae  
cujus-

cujusvis sit esculenti, vel etiam per *masticationem* quæ sit esculenti cujusdam solidi, utpote Corporis Christi, fieri docet. Huic opponit manducationem *impropriam*, h. e. rerum, cognitionem & cognitarum ruminacionem a mente institutam. Hanc dicit vel *pure mentalem* esse, adeoque naturalem, seu rerum naturalium cognitionem, vel simul *spiritualem*, quæ in cognitione per vires in regeneratione acceptas fiat: vel denique *spiritualiter Sacramentalem*, h. e. cum corporali manducatione conjunctam. Quibus sic disputatis, adjicit (1.) *utramque, & mere spiritualem, & spiritualiter Sacramentalem manducationem esse veram*, per Jo. VI. Peccatum igitur a me esse, qui solam *oralem* manducationem habuerim pro *verâ*. (2.) *Mere spiritualem manducationem præ Sacramentali immane quantum præstare*: cum illa omnibus, & perpetuo, salutem; hæc aliquando *condemnationem* conciliet. (3.) *Propriam manducationem perperam a nobis dici oralem*, quippe quod sapiat *pleonasmum*, cum omnis manducatio propria sit etiam manducatio *oralis*. (4.) *Oralem manducationem esse carnalem, negari a nobis citra contradictionem non posse*. Imo (5.) *Oralem manducationem, procul omni injuria, Capernaïticam dici posse, cum nullibi legantur Capernaïta præter manducationem per os corporis, etiam masticationem, deglutitionem, aliæque id genus, ad suam retulisse*. Hæc est Strimesii de variis manducandi generibus disputatio, in qua quot, quantosque commiserit errores ordine nunc notabo.

§. XVIII. Falsum nempe est, (1.) *omnem manducationem propriam esse naturalem, seu physicam*. Manducatio enim *physica* non est latius quid respectu propria; sed manducatio propria est latius quid, respectu *physicæ*. Nec enim omne proprium statim est *physicum*. Generatio

ratio filii in divinis est generatio propria, imo propriis-  
sima, nec tamen naturalis, seu physica. Manducatio  
angelorum tempore Abrahami, & Christi post resurre-  
ctionem, fuit manducatio propria, nec tamen physica.  
Offendit ergo Strimesius in vestibulo. Falsum (2) est,  
*ad omnem manducationem propriam, corporis solidi, requiri*  
*eius masticationem, & per guttur in ventriculum dejectionem.*  
Quum enim hæc *physicam* tantum manducatio-  
nem afficiant, nec tamen omnis *propria* statim sit phy-  
sica, quod supra ostendimus, sequitur, aliquid vere pro-  
prieque manducari posse, etiam si nec dentibus lacere-  
tur, nec in ventriculum deiciatur. Et vero si corpus  
quoddam solidum, cujusmodi corpus quoque Christi  
spirituale & glorificatum nominat, (quo jure nunc non  
dispiciam;) *Strimesius*, sine masticatione propria man-  
ducari non potest, quid fiet, de pane consecrato, eoque  
quotidiano, quo uti plerique omnes Reformati suis in  
Ecclesiis consueverunt, quem multi edentuli non masticant,  
sed deglutunt? Numne hi propterea vere, proprieque  
non manducant, quia, tuo judicio, corpus solidum ci-  
tra masticationem vere, proprieque manducari non po-  
test? Falsum (3) *Manducationem impropriam vel pure men-*  
*talem, vel mentaliter - spiritualem, vel denique spiritualiter-*  
*sacramentalem esse.* Primo enim ostendi mihi postulo in  
quonam vel profano, vel Ecclesiastico vel Sacro deni-  
que scriptore vocabulum manducandi pro rerum *cogni-*  
*tione, & cognitarum ruminatione* sumatur. Scio quo sen-  
su Latini soleant *to devorare* accipere, & nunc *spei*, nunc  
*cupiditati* tribuere. Sed utrumque horum est *appetitus,*  
*non mentis*: nec minore Ego subtilitate inter manduca-  
re & devorare, quam *Strimesius* inter manducationem  
per *deglutitionem, & per masticationem,* distinxerim. Un-

de igitur suam illam mere mentalem manducationem  
 probabit? Deinceps naturam manducationis mere men-  
 talis & spiritualis collocat *in cognitione*. Atqui mandu-  
 catio spiritualis nihil est aliud, quam meriti Servatoris  
 fiducialis applicatio. Id Musculus ad Jo. VI. fol. 229. docet:  
*Edere inquit, carnem filii hominis, & bibere sanguinem ejus,*  
*nihil aliud est, quam fide vera redemptionis, per oblationem*  
*carnis & effusionem sanguinis illius, humano generi acquire*  
*participem fieri.* Participatio autem fit per fiduciam in  
 voluntate, non cognitionem in mente. Quomodo igitur  
 spiritualis manducatio in cognitione consistet? Falsum (4.)  
 est, quod Sacramentalis manducatio ex corporali & mere spi-  
 rituali constat. Ut enim corporalis sit ratione obje-  
 cti, & organi, non tamen talis est ratione modi, cum omnis  
 corporalis sit etiam physica & naturalis. Neque etiam me-  
 re-spiritualis manducatio, qua talis, manducationem Sa-  
 cramentalem, qua talem, ingreditur, sed finis illius est,  
 & effectus, cum ideo C. & S. C. in S. C. manducemus, &  
 bibamus, quo fides in nobis, per quam de merito Chri-  
 sti participamus, augeatur, & confirmetur. Falsum  
 (5.) Manducationem nobis in Cena & propriam & impro-  
 priam esse impositam. Uti enim corporis & panis non nisi  
 unam eandemque manducationem admittimus, sic ean-  
 dem, respectu utriusque objecti, propriissimam esse con-  
 tendimus. τὸ manducare enim, in verbis institutionis,  
 ad totum συμπλεγμένον spectat: Itaque quam vere &  
 proprie panem consecratum, tam vere etiam & proprie,  
 mediante pane, ipsummet Christi corpus accipimus &  
 manducamus. Falsum denique (6.) Spiritualem mandu-  
 cationem, pra Sacramentali, immane quantum prestare. Nam  
 & Sacramentalis habet peculiarem effectum gratiae & con-  
 solationis, dum circa Christi carnem, in se naturaque  
 sua

sua vivificam occupatur, Christumque adeo, etiam quoad substantiam, unit nobiscum & copulat. Et licet effectus ille nonnunquam incredulitate hominum interceptitur, hoc tamen de dignitate manducationis non magis detrahare potest, quam de dignitate ipsius meriti Christi, quod etsi omnibus est partum, ob defectum organi paucisfimis applicatur.

§. XIX. Nostro igitur iudicio plane aliter est disputandum de manducatione in Cœna. Hæc enim recte quidem in propriam & impropriam dividitur: At vero sola spiritualis est impropria manducatio, quippe qua Christus, cum toto suo merito, ceu cibus aliquis spiritualis, vera fiducia, ceu organo divinitus consecrato, recipitur intime, quasique digeritur, & in succum ac sanguinem vertitur, ad spirituales nostri nutritionem, & vitæ mysticæ prorogationem. Propria vero non est ejusdem generis. Alia enim est physica, alia œconomica, alia denique sacramentalis, & mystica, quæ & oralis. Physica est, quando res quædam esculenta per os corporis assumitur, deglutitur & in ventriculum demittitur, in sanguinem ex parte convertitur, ex parte per alvum ejicitur, ad corporis nutritionem, vitæque temporariæ conservationem. Ad hanc merito revocamus Capernaiticam Corporis Christi manducationem, de qua Jo. VI. agitur. Œconomica fere coincidit cum naturali, seu physica. Differt tamen ab ea, qua effectum & finem, siquidem assumptus in ea cibus nec digeritur, nec in sanguinem ad nutriendum corpus convertitur, sed virtute quadam singulari absumentur. Sacramentalis denique est, qua, ore corporis, vi ordinationis divinæ, totum complexum sacramentale, e re terrena & cœlesti constans, corpus quidem, mediante pane; & sanguis, mediante vino, a

dignis æque ac indignis, ad spiritualem refectionem, omnibus quidem manducantibus a DEO destinatum, solis autem fidelibus reapse applicandam, percipitur. *Conf. Hopfn. de Cœna tr. Theor. Sect. 3. art. 2. M. 1. S. 6.* Hæc ipsa plurimum differt a Physica, siquidem *hujus* objectum est *caro*, vel alius quidam citus vulgaris; *Sacramentalis*, caro filii DEI vivifica: *Illæ* fit modo *naturali*, & crasso: *hæc supernaturali*, atque cœlesti: In *illa* non nisi unum ab uno: In *hac* unum ab omnibus, totumque a deo Christi corpus a singulis manducatur. Differt etiam a *spirituali*. Hujus enim compotes sunt soli fideles & renati, illius omnes vocati: *Spiritualis* pro objecto habet Christum *θεῶν θεῶν*, qui est panis vitæ, secundum utramque naturam. *Sacramentalis* pro objecto habet solum *θεῶν θεῶν* corpus & sanguinem. *Illæ* nunquam fit sine fide, nonnunquam sine symbolis: *Hæc* nonnunquam sine fide, sed nunquam sine symbolis: *Illæ* fit per fiduciæ: *Hæc* per oris corporei organon. *Illæ* semper est salutaris: *Hæc* aliquando non est salutaris: *Illæ*, ut omni tempore est necessaria, sic omni loco institui potest: *Hæc* vero nec omni tempore, nec omni loco, est necessaria. Quibus ita disputatis facile apparet cur *oralem* & *veram* manducationem habuerim pro æquipollentibus. Nec enim datur manducatio *sacramentalis vera*, quin eadem fit *oralis*, cum Christus non modo *panem*, quem exhibuit, sed & *cum pane* corpus suum manducandum præbuerit. Et quanquam, quod excipit Adversarius, *spiritualis* manducatio etiam fit *vera*, si *verum* opponatur *ficto*, non tamen est *vera*, si opponatur *improprio*. Manducatio enim de *oraliter-sacramentali*, & *spirituali* prædicatur *equivoco*, seu per analogiam proportionis, & propter similitudinem quandam, quæ inter applicationem meriti Christi, & man-

manducationem propriam intercedit. Omnis autem manducatio *Sacramentalis*, non modo non debet esse *facta*, sed & *propria*, quia panem & corpus una eademque *visus* & æque *proprie*, manducare jubemur. Porro manducatio *spiritualis* fit *ore fidei*. Fides autem non ingreditur *essentiam* sacramenti Cœnæ, aut sacramentalem manducationem constituit; sed partim a convivis requiritur ut *qualitas*, partim ex ipsa cœna propullulat, ut *fructus*. Sacramentalem igitur manducationem transformare in spiritualem, nihil aliud est, quam *prærequiritum* cum *essentia*, *causam* cum *effectu*, aut *sacramentum* cum *fructu* confundere. Facile etiam (2.) apparet, manducationem sacramentalem, *citra omnem pleonasmum*, dici *oralem*. Cum enim manducatio propria multas, quasi species, sub se contineat, utpote *naturalem*, *economicam*, *Capernaïticam*, de quibus omnibus manducatio non minus proprie, quam de sacramentali dicitur, distinctionis ergo dicitur *oralis*, qua voce *sola* manducationis *veritas*, *citra* connotationem *modi*, aliarumque circumstantiarum, innuitur. Et quemadmodum *Sadeel de mand. sacr. p. 4.* *citra omnem pleonasmum*, manducationem *naturalem* dixit *oralem*, etsi facile pateat, naturaliter, nisi ore, manducari non posse; sic nostri etiam facile ab omni sermonis abundantia sunt absolvendi, si, ad solam manducationis veritatem insinuandam, *sacramentalem* manducationem nominant *oralem*. Apparet vero (3.) & illud, quod eandem *carnalem* esse, *citra omnem contradictionem*, recte meritoque negemus. Ut ut enim *carnalis* & *subjective*, & *objective* dici possit, horumque adeo respectu non magis falsum sit, manducationem esse carnalem, quam falsum est, Strimesium *carnalem* esse *Theologum*, cum omnibus pateat, eundem non esse spiritum; tamen

cum τὸ σαρκινὸν male audiat in Scriptura, & fere non nisi corruptum & inquinatum notet, quod patet ex *Jo. III. 6. Rom. VII. 18. VIII. 1. 2. Corint. I. 17.* hoc autem in negotio non tam quid natura vocabuli ferat, quam quid usus Scripturæ præscribat, videndum sit, ista quidem appellatione, ubi de manducatione sacramentali agitur, merito abstinemus. Patet denique (4.) illam, quam defendit Form. C. manducationem *oralem*, sine contumelia, *Capernaiticam* appellari non posse. Capernaitas enim, præter organon Corporis, etiam lacerationem dentium, & dejectionem in ventriculum, aliaque id genus, suam ad manducationem retulisse, etsi neget *Strimesius*, Musculus tamen non obscure admittit, dum in *Comment. ad Jo. VI. f. 228.* docet, *intellexisse illos manducationem de Carne, cujusmodi Patres comederint in deserto. Bullingerus autem manifesto fatetur ad h. l. p. 73. Capernaitas sibi imaginatos fuisse manducationem carnis Christi ad eum modum, quo caro editur e macello. Hanc vero sine masticatione, dentium laceratione, in ventriculum demissione, aliisque id genus, comedi posse, quis credat? Addo: Si oralis manducatio a Capernaitica nil differt? mirari satis non possum, quod *Strimesius*, hoc non obstantem, ad pacem nos & concordiam invitat? Capernaitas enim, non *Sacramentum* aliquod, sed Thyesteas epulas concepisse, est in propatulo. Cujusmodi cum Adversarius nobis quoque manifeste objiciat, & hinc ἀθεωροφυσίαν, hinc ἀμαρτοσύνην, DEO & hominibus abominabilem p. 173. tribuat, colligo inde, illum aut veritatem, quantum in ipso fuit, prodere, aut profundum in Lutheranos odium, externa pacis simulatione, tegere voluisse.*

§. XX. Argumenta de cetero, quæ orali manducationi opposuit, & in tres classes digessit, refellere in præ-



præsenti nec placet, nec ratio instituti permittit. Memini enim me *Dissertationis vindicias* scribere, non refutationem totius *Strimesiana Hexadis*. Adhæc nihil tanta in farragine legitur, quod non ab aliis pridem allatum, nostris autem confutatum sit sæpius. Remisit me *Strimesius* ad *Zwingerum*: Ego illum invicem ad *Dorschei Anti-Cogentium*, quo virum, alioqui eruditissimum, ad silentium compulsi. Huic si quis *Cbemnitium*, *Hunnium*, *Menzerum*, *Gissenium*, *Höpfnerum*, *Calodium*, *Darmstadtinos*, & illum Reformati invisum *Dannbauerum* addiderit, is inveniet, fati me habuisse causæ, cur morem Adversarii imitari, & cramben toties coctam apponere dubitarim. Hoc tamen ex hucdum disputatis constabit, quod Reformati hoc etiam in capite, quo de *manducatione sacramentali* agitur, plurimum a nobis dissentiant. Cum enim hæc, quod supra evicimus, in Corporis & panis, sanguinis & vini, *vera propria, orali & simultanea participatione* consistat, Reformati autem hæc omnia negent, nec nisi *naturalem* elementorum, per *os corporis*, & *mere spiritualem* rerum cœlestium, per *os fidei* participationem admittant, quæ ipsa vero, nec divisim, nec conjunctim, *sacramentalem* manducationem absolvant, concludimus inde, Reformatos a nobis non modo qua *oralem*, sed & ipsam *vere-sacramentalem* manducationem recedere, quippe cui & ea, quæ illam *ingrediuntur*, subtrahunt, & ea, quæ *non ingrediuntur*, adjiunt.

§. XXI. Denique etiam Aug. Conf. Socii, & Reformati dissentiant in cap. IV. *de manducatione indignorum*. Quod etsi minime dissimulet Adversarius, spem tamen superesse putat, componendi deinceps diffidii, quod *eminentioris nasi Theologi inter Lutheranos ad Orale Indignorum*

MAR-

manducationem nauseare incipiant: Reformati vero, perinde  
ut isti, quandam Corporis C. Sacramentalem manducationem  
relinquere iis non abnuant. Interim quò de re tota accu-  
ratus constet, monet, Sacramentalem manducationem,  
quatenus pro Orali supponat, duplici sensu accipi posse, vel hoc,  
ut denominatio a corpore Christi, seu Objecto ejus, ei intrin-  
seca sit, ipsamque C. C. substantiam manducatio attingat; vel  
isto, ut denominatio eadem Christi corpus extrinsece duntaxat  
respiciat, & Sacramentalis audiat, quia panis benedicti,  
Christi corpus representantis manducatio sit. Tum vero  
& Indignos alios esse absolute tales, respectu totius Christi-  
anissimi, ut impios & hypocritas: alios autem secundum  
quid tales, & respectu Cæna, h. e. homines habitu-  
liter pios, sed ex imbecillitate carnis in peccata contra consci-  
entiam lapsos, & nihilominus sine prævia sui exploratione, &  
seria pœnitentia Sacra Cæna utentes, de quibus agatur  
1. Cor. XI, 27. Discere autem hic velim, quinam sint illi  
emunctioris nasi Theologi inter Nostros, qui ad Oralem Indi-  
gnorum manducationem hoc tempore nauseare incipi-  
ant. Quisquis enim ad hanc incipit nauseare, is simul  
incipit nauseare ad purum DEI verbum, in quo eadem so-  
lide est fundata: Incipit nauseare ad A. Conf. cujus in Art.  
X. C. & S. Domini vescentibus promiscue, citra restrictio-  
nem ad dignos, distribui dicuntur: Incipit nauseare ad  
doctrinam in Art. Smalcaldicis, & Form. Conc. comprehen-  
sam, adeoque non est germanus A. C. socius, aut inge-  
nuus Lutheri discipulus, sed vel Sanctulus aliquis, vel  
Syncretista, qui sub Lutherani Theologi persona cum  
adversariis colludit. Isti vero, de quibus loquimur, e-  
munctioris nasi Theologi hoc magis suspecti sunt, quod  
in indignos Oralem manducationem cadere posse ne-  
gant: Sacramentalem, concedunt. Enimvero cum, de  
Luthe-

• Lutheranorum sententia, non detur manducatio *Sacramentalis*, quin eadem simul sit *Oralis*: hanc vero cadere illi in indignos negent, liquido patet, illos per *Sacramentalem* manducationem nudam panis benedicti, corpus Christi repræsentantis, participationem, hoc est *Calvinianam*, Indignis tribuere. Et quia, quoad *materiam*, vel *Objectum*, nulla datur inter participantes diversitas, cum Christus omnes manducare voluerit, fieri nequit, quin, ubi *Vere-Sacramentalis*, manducatio, eademque *Oralis*, negatur de indignis, eadem negetur de omnibus, totusque adeo Reformatorum de Cœna error probetur. At hoc ipsum erat, ob quod dici merebantur *emunctioris nasi Theologi*, cum ceteri vel adeo stupidi sint, ut non affequantur illam sublimitatem mysterii, quod impii quoque panem & vinum possint manducare & bibere, vel eo usque ingrati, ut non agnoscant, singulare illud Calvinisticæ liberalitatis exemplum, quo idem illud cadere in impios posse, in Lutheranorum, nimirum, gratiam, largiuntur.

§. XXII. Quod ad rem ipsam attinet, nescit illam *Indignorum divisionem* Scriptura, nec I. Cor. XI, 27. de infirmis in fide, aut apparenter, aut secundum quid indignis, sed de vere indignis agitur, iis nimirum, qui *publicis in conventibus alios suis moribus offendeant v. 17. Ecclesiam DEI contemnebant, in eaque tantum non ebrii comparebant, v. 21. necessariam sui explorationem mittebant, nec de vera & seria penitentia cogitabant v. 27. 28. corpus Domini non recte dijudicabant, eoque ipso divinum sibi iudicium attrahabant. v. 29. Quæ sane non infirmitatis, sed malitiæ peccata, adeoque cum jactura fidei, gratiæ DEI, &, ut Adversarius loquitur, totius Christianismi conjuncta fuerunt. Nam quod Strimesius peccata ipsis ex imbecillitate carnis, &*

F

tamen

tamen contra conscientiam commissa, tribuit, hoc ipsum imbecillitatis in adversario documentum interpretor, qui ex *Wendelin. Syst. maj. p. 525.* discere potuisset: peccata malitiæ, & contra conscientiam perpetrata, peccatis per ignorantiam, & ex infirmitate commissis, adæquate opponi. Etsi vero quid de *Indignis secundum quid* sentiat, non adjecerit Adversarius, sed de *Indignis solum absolute talibus*, h. e. impiis & hypocritis disputet, id tamen, nec temere forsan, subodoror, quod *Indignis secundum quid*, non modo *Sacramentalem*, sed & *Spiritualiter* reliquerit. Nominat enim eos *habitualmente* *pios*, cujusmodi solos electos esse posse, Reformatis persvasum est. Hi porro nunquam sic amittunt fidem, quin ejus quædam scintillula, etiam in ipso peccatorum prohæreticorum reatu, una cum DEI gratia, quam pariter ab Electis totaliter amitti posse infitiantur, remaneat. Nil igitur, pro Reformatorum saltem opinione, obstat, quo minus per illud fidei residuum corpus Christi non modo *Sacramentaliter*, ut ipsi loquuntur, sed *Spiritualiter* quoque participant, sic tamen, ut, ob quandam huic adhærentem defectum, excidant *sensu gratiæ DEI*, hujusque adeo non tam *solacium in corde*, quam *judicium & castigationem in corpore*, experiantur & sentiant, donec per veram pœnitentiam redeuntes ad frugem, una cum fortiore manducatione Spirituali, *sensum* quoque gratiæ divinæ uberiores recuperent. Hæc procul dubio est *Strimesii*, de *Indignis secundum quid talibus*, opinio, quæ sicut figmento Reformatorum de gratia DEI, & fide, ab Electis non amittenda, & absoluto demum decreto innititur, ita quid de re, fundamento tam lubrico superstructa, sit judicandum, alia occasione tradidimus. Nos, si qua hic distinctio opus omnino fuerit,

rit, convivas S. C. indignos in *vere*, & *apparenter* tales dividimus. *Illi* sunt, qui absque vera contritione, & absque vera fide, & absque pio proposito vitam emendandi ad Cœnam accedunt: *Hi* vero sunt infirmi in fide, ob magnitudinem & multitudinem peccatorum suorum perturbati, ac trepidi, merito tamen Servatoris innixi. Utrisque manducationem non *utcumque sacramentalem*, sed *veram* atque *oralem* in Dissertatione tribui, duobus præcipue argumentis usus: (1.) *quod integritas Sacramenti non ab hominum conditione & fide, sed a voluntate DEI instituentis dependeat.* (2.) *Quod Christus non dixerit; Si credideritis, aut digni fueritis; sed simpliciter: edite, bibite.* Excepit ad utrumque Strimesius: *Sacramenta esse restricta & suspensa, (nempe ab humana qualitate, & voluntate) non intrinsece, & constitutive, sed extrinsece, effective, & objective. Esse restricta ad requisita hominis, sed talia, que opus DEI, non hominum sint.* Hinc negatur, inquit, *consequentia; Sacramenta non operantur, nisi supposita fide hominis.* E. *Sacramentorum operatio dependet ab hominis arbitrio & opere.* *Quemadmodum non valet: Verbum DEI operatur Conversionem: E. conversio hominis dependet ab humano arbitrio.* Quo observato, ea omnia in fumum abire putat, quæ vel ipse, vel ex Lutero adduxerim. Et si vero *Strimesius* haud dubie me inter Theologos emunctioris nasi non referat, nec illam quoque ab Adversario laudem magnopere affectem ipse, videtur tamen hac ipsa in responsione emunctæ naris specimen non dedisse. Enimvero non quæritur: an Sacramenta ad *salutem sui usum & operationem*; sed an ad *constitutionem ipsam & essentiam*, fidem hominum requirant: Non, an, ut res cœlestes salutariter *prosint*, sed ut substantialiter *adsint*, aliqua in nobis sit supponenda conditio? Verbo:

bo: non, an Indigni cum fructu, sed an reuera C. & S. C. sine fide, participant, disputatur. Jam cum Sacramenta ab ulla hominis qualitate, vel arbitrio *intrinsicè* & *constitutivè* suspensa esse ipse infitietur *Strimesius*, ex verbis ipsius sic infero: *Q. intrinsicè constituit Sacramentum, illud qua substantialem, & indistantem sui præsentiam a nulla hominis qualitate, adeoque nec fide nec incredulitate, suspenditur. Atqui vero C. & S. C. Sacram. Cœnam intrinsicè constituunt, tanquam res & materia cœlestis: E. Corpus & Sanguis C. qua substantialem & indistantem sui præsentiam a nulla hominis vel incredulitate, vel fide, suspenduntur. Quod ipsum in Dissertatione docui, & ad evincendam Indignorum quoque manducationem accommodavi.*

§. XXIX. Subducamus nunc controversiæ rationes, & finem formando ejus statui imponamus. Vidimus nempe, Reformatos & *veram ac substantialem C. & S. C. in S. C. præsentiam* negare, & rerum cœlestium cum elementis *communione* evertere, & *manducationem vere-Sacramentalem* nescire, *Indignos* denique a participatione C. & S. C. excludere. Colligimus ergo, non de modo præsentia, sed *ipsa præsentia*: non de fructu Sacramenti, sed *re* Sacramenti: non denique de manducationis Sacramentalis *qualitate*, sed *veritate* inter A. C. Socios, & Reformatos Theologos controversi, atque hos ab illis, non in *duobus* tantum, quod *Strimesio* est persuasum, sed *omnibus omnino*, quæ *Formula Conc.* de hoc argumento proposuit, capitibus dissentire.

SOLI DEO GLORIA.

Th. 1379

ULB Halle 3  
002 422 239



VD18

56,

M. C.







24

L. N. 7.

VINDICIARUM  
SENTENTIÆ ORTHODOXÆ:

QUOD DISSENSUS IN-  
TER SOCIOS A. C. ET  
REFORMATOS IN ART.

DE COENA

SIT FUNDAMENTALIS,

DISPUTATIO PRIOR,

QUAM AUSPICIIS,  
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQUE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECT. SAXON. HEREDIS, ETC. ETC. ETC.

PRÆSIDE

GOTTLIEB WERNSDORFIO,

SS. Theol. D. & P. Publ. nec non Alumnorum Elector. Ephoro,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQUENDI,

D. XI. NOVEMBR. clō Idcc VI.

PUBLICÈ DEFENDET

M. GOTTLLOB TIMÆUS,

Ecclesiæ Gommeranæ Pastor, & vicinarum in Burggrafiatu Magdeb. Superint.

VITTEMBERGÆ, Literis GERDESIANIS.

